

sonariorum; Mulieribus vero, quibus ad illas seu illa liber non patet accessus seu ingressus, quæ aliam Ecclesiam seu Oratorium Catholicorum earumdem partium a Custode seu Præfecto Missionum hujusmodi designandam seu designandum, die Festo Sancti Ludovici Regis a primis Vesperis usque ad occasum Solis Festi hujusmodi, singulis annis devote visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, Plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam & remissionem misericorditer in Domino concedimus. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Fides Transumptorum.

5.2. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipsi præsentibus, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 4. Junii 1734. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

F. Card. Oliverius.

CXXXVIII.

Dat. die 7. Junii 1734. Pont. An.IV.

Confirmatur Decretum Capituli Generalis Ordinis Fratrum Beatæ Mariæ de Monte Carmelo Excalceatorum nuncupat. super divisione Provinciæ Poloniæ, ac erectione novæ Provinciæ Lituaniæ dicti Ordinis.

CLEMENS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

EX injuncto Nobis cælitus Apostolicæ servitutis munere, quæ pro felici prosperoque Christianifidelium Altissimi obsequiis sub suavi Religionis jugo mancipatorum regimine & gubernio provide facta ac ordinata esse noscuntur, ut firma atque illibata persistant, Apostolici muniminis nostri præsidio, cum id a Nobis petitur, libenter constabilimus.

Causæ novæ erigendæ Provinciæ.

5.1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Procurator Generalis Fratrum Ordinis Beatæ Mariæ de Monte Carmelo Excalceatorum nuncupator., quod cum Provincia Polona dicti Ordinis adeo ampla existeret, ut ob nimiam ejus vastitatem ac extensionem ab uno dumtaxat Priore Provinciali visitari, ac commode regi nequiret, Capitulum Generale ejusdem Ordinis, in Conventu Sanctæ Mariæ de Scala nuncupat. de Urbe novissime celebratum, hac, aliisque rationabilibus causis regularis observantiæ, religionis pacis & tranquillitatis conservationi maxime conducentibus, accuratè perpenfis, vigore facultatum sibi attributarum prædictam Provinciam Poloniam in duas divisit, novamque ipsius Ordinis Provinciam

Lituanam nuncupandam crexit cum assignatione nonnullorum Conventuum, Monasteriorum, ac residentiarum, a primodieta Provincia separatorum & dismembratorum, & alias, prout uberius continetur in Decreto ejusdem Capituli Generalis desuper emanato, tenoris, qui sequitur, videlicet:

Propositum fuit, utrum dividenda esset Provincia Poloniæ in duas Provincias, nempe Poloniam & Lituaniam, assignando Provinciæ Lituaniæ erigendæ sub titulo S. Casimiri sequentes Conventus tam Fratrum quam Monialium, videlicet Conventum Posnaniensem sub titulo SS. Joseph & Theresiæ, & Monasterium Monialium ibidem existentium sub titulo S. Mariæ de Monte Carmelo: Conventum Varsoviensem sub titulo Assumptionis B. Virginis, & Monasterium Monialium ibidem existentium sub titulo S. Casimiri B. V. Mariæ: Conventum Viliensensem sub titulo Sanctæ Matris nostræ Theresiæ, & Monasterium Monialium ibidem existentium sub titulo S. Mariæ de Monte Carmelo: Conventum Slembovensensem sub titulo Assumptionis B. V. Mariæ: Conventum Grodnensem sub titulo Sanctæ Crucis, & alias residentias in Magno Ducatu Lituaniæ, nempe Connensem, & aliam sitam post Fluvium Villia dictam, cum omnibus bonis mobilibus & immobilibus, redditibus, scripturis, instrumentis, actis, & aliis quomodocumque ad prædictos Conventus & Residentias quocumque titulo & ubique locorum cum suis juribus & oneribus pertinentibus.

Dubium propositum in Capitulo Generali.

Responsum affirmative cum omnibus suffragiis.

Responsio affirmativa.

Itaque Provincia Polona S. Spiritus divisa est in Ven. Capitulo Generali celebrato Romæ in Conventu S. Mariæ de Scala die 14. Maji Anno Domini 1734. suffragantibus omnibus votis RR. PP. Gremialium in duas Provincias, quarum Conventus Religiosorum sunt quatuordecim, Residentiæ quatuor, Monialium octo. Ex quibus in antiqua Provincia Sancti Spiritus manent novem scilicet Conventus Cracoviensis sub titulo Immaculatæ Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis, Lublincensis B.M.V. de Monte Carmelo, Leopoliensis S. Michaelis Archangeli, Cracoviensis SS. Michaelis & Joseph, Premisliensis S. M. N. Theresiæ, Viniensis SS. Salvatoris, S. Eremi S. Eliæ Viniensis, S. Michaelis Archangeli: Monialium autem quinque scilicet Cracoviensis, S. Martini, Lublincensis, S. Joseph Sublincensis Immaculatæ Conceptionis B.M.V., Leopoliensis S. Spiritus, Cracoviensis S. M. N. Theresiæ, & S. P. N. Joannis a Cruce.

Provincia Polonæ S. Spiritus fines.

In nova vero Provincia erecta sub titulo Sancti Casimiri

Manent quinque Conventus, videlicet, Posnaniensis sub titulo SS. Joseph & Theresiæ, Viliensis S. Matris Nostræ Theresiæ, Varsoviensis Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis & S. Joseph, Glembovensis Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis, Grodnenfis S. Crucis: Residentiæ vero duæ, nimirum Caunenfis Jesu Mariæ & Joseph, Lavilincensis S. Matris Nostræ Theresiæ: Monialium autem tres, scilicet

Fines alterius novæ Provinciæ.

Var-

CXXXIX.

Varsoviensis Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis, Posnaniensis Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo, Viliensis, S. Matris nostræ Theresiæ.

5.2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, ipse Procurator Generalis, præmissa, quod firmiter subsistant ac servantur exactius, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiti summopere desideret; Nos dictum Procuratorem Generalem specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinatis, Decretum præinsertum a memorato Capitulo Generali factum, ut præfertur, cum omnibus & singulis in eo contentis, auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes & singulos juris & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Confirmatio divisa & novæ erectionis.

5.3. Decernentes, easdem præsentibus litteras semper firmas validas & efficaces existere & fore, suisque plenarias & integros effectus sortiri & obtinere; ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, in omnibus & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Caesarum Palatii Apostolici Auditores, judicari & definiri debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Præsentium Literarum firmitas.

5.4. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, necnon, quatenus opus sit, Ordinis ac Provinciæ Polonæ, Conventuum & Monasteriorum prædictorum, aliisque quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis; Quibus omnibus & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis aliis in suo robore permanentibus, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Obstantium derogatio.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 7. Junii 1734. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

F. Card. Oliverius.

Confirmantur nonnulla Decreta in Capitulo Provinciali Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Augustini edita super Privilegiis, quibus frui debeant antiquiores Doctores Provinciæ Bethicæ ejusdem Ordinis in Hispanensi Universitate promoti, vel in posterum promovendi.

Dat. die 26. Junii 1734. Pont. An.IV.

CLEMENS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

5.1. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Didacus Salinas, Assitens Generalis Hispaniæ, ac Procurator Provinciæ Bethicæ Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Augustini, quod dilecti filii Definitoris dictæ Provinciæ in eorum Capitulo Provinciali mense Aprilis 1733. celebrato, animadvertens, Universitatem Studii Generalis, in Civitate Hispanensi dudum erectam, inter cæteras totius Hispaniæ Universitates ejusdem percellibrem, atque intra fines ejusdem Provinciæ præcipuam existere, multumque splendoris & ornamenti Ordini & Provinciæ præfatis afferri, quod ipsius filii ac Religiosi Doctoratus laurea in Universitate prædicta decorentur, quoad oppositiones, ut vocant, seu concursus pro publicis lectionibus in ipsa Universitate assequendis idonei reddantur: simulque attendentes, quod Fratres Provinciæ Castellæ ejusdem Ordinis his de causis, & ut illius Fratres aliquo honoris incitamento ad rigorosum, examen, literariosque labores pro ejusmodi gradu consequendo alacrius subeundos excitarentur, alias obtinuerunt a Capitulo Generali ipsius Ordinis, anno 1685. habito, decretum inter acta dicti Capituli Generalis relatum, atque a se. re. Innocentio PP. XI. Prædecessore Nostro per quædam suas in simili forma Brevis die 30. Aprilis 1689. expeditas literas confirmatum, quod quatuor in Salamantina, & tres in Complutensi studiorum itidem generalium Universitatibus antiquiores Doctores Provinciæ Castellæ præfate inter Magistros suprascripti Ordinis adnumerandi forent, atque omnibus privilegiis, honoribus, gratiis, & indultis, quibus juxta ejusdem Ordinis Constitutiones, dictæque Provinciæ Castellæ statuta ac consuetudinem alii Magistri potiebantur & gaudebant, similiter potiri & gaudere deberent; ipsi Definitoris Provinciæ Bethicæ hoc exemplo ac iisdem causis & rationibus adducti decreverunt, ut Prior Provincialis nomine dictæ Provinciæ Bethicæ coram Nobis staret, quatenus memoratum indultum antiquioribus Doctoribus dictæ Provinciæ Castellæ concessum, ad Doctores pariter antiquiores ipsius Provinciæ Bethicæ, in Universitate Hispanensi præfata jam promotos, ac deinceps promovendos, extendere vellemus, cum his tamen conditionibus ac declarationibus: Primo, quod nullus ex dicta Provinciæ Bethicæ Fratribus ad gradum Doctoratus in eadem Universitate Hispanensi promoveri possit, nisi de licentia Prioris Generalis

Supplicis Libelli tenor: cum Decretorum causæ rationes.

H h a

dicti

dicti Ordinis pro tempore existentis, ut præscribunt præfata Constitutiones par. 5. cap. 4. & 7. Secundo, quod nullus Doctor in dicta Universitate Hispanensi Magistri privilegia obtinere incipiat, antequam expleto suæ le-cturæ tempore, a Definitorio Provincia, sive in Capitulo Provinciali, aut Congregatione intermedia, Lector jubilatus declaretur, aut saltem post sex annos lectionis Philosophiæ, & sacre Theologiæ in majori Conventu Hispanensi, munus Regentis per triennium laudabiliter expleverit, & tunc absque novo examine, & alia gradus susceptione, istiusmodi Doctores Magisterii privilegia gaudere incipiant, & uti Magistri a Priore Provinciali pro tempore existentis in libro, in quo ceteri describuntur Magistri, adnotentur, & ex tunc demum, non autem secundum tempus susce-
pti Doctoratus, eorum antiquitas inter Magistros Ordinis computetur. Tertio, quod sicuti ad evitandam confusionem, quæ ex multitudine Magistrorum decursu temporis oriri posset, pro dicta Provincia Castellæ statutum, fuit, quatuor tantum Salamantina, tres vero Complutensis Universitatum prædictorum, antiquiores Doctores tali indulto frui deberent ita in ipsa Provincia Bethica tres dumtaxat istidem antiquiores dictæ Universitatis Hispanensis Doctores Magisterii privilegia fruatur, reliqui autem, si qui fuerint, quamvis cæteris qualitatibus mox recensitis præditi reperiantur, illa minime obtineant, quousque per alicujus ex dictis tribus Doctores antiquioribus cessum vel decessum eis locus fiat secundum ordinem suæ antiquitatis, & aliâs, prout in Decreto per dictos Definidores desuper edito, cujus tenorem præsentibus pro plene & sufficienter expresso haberi volumus, uberius dicitur contineri.

Prædicta Decreta confirmantur.

§. 2. Cum autem, sicut eadem expositio subungebat, præmissa supradicto Decreto Capituli Generalis anni 1635., quod Constitutionibus Ordinis præfati insertum reperitur, apprime consonent, & a dilecto filio moderno Priore Generali ejusdem Ordinis, ejusque Congregatione die 18. Junii anni proxime præteriti approbata fuerint, petitaque extensio indulti septem Doctores Provincia Castellæ concessi, ad solos tres antiquiores prædictæ Provincie Bethicæ restricta & limitata sit, Nobis propterea prædictus Didacus humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra, indulgere, de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur ejusdem Didaci votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis, a jure vel ab homine quavis occasione vel

causa latis, si quibus quomodolibet innotatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, enarratum indultum, Septem Doctores antiquioribus Provincie Castellæ in Universitatibus Studiorum Generalium Salmantina & Complutensi respective promotis, sicut præmittitur, concessum, ad tres dumtaxat antiquiores Doctores Provincie Bethicæ Fratrum dicti Ordinis Eremitarum S. Augustini in Universitate, studii Generalis Hispanensis nunc & pro tempore graduatos, servatis tamen conditionibus & declarationibus supradictis, ita ut iidem tres antiquiores Doctores inter Magistros Ordinis prædicti adnumerentur, & uti tales habeantur, omnibusque privilegiis, favoribus, prærogativis, gratiis, & indultis potiuntur & gaudeant, potiri & gaudere debeant, quibus ceteri in eadem Provincia Bethica Magistri de jure usu & consuetudine potiuntur & gaudent, aut potiri & gaudere possunt & poterunt quomodolibet in futurum, auctoritate Apostolica tenore præsentium extendimus & ampliamus.

§. 3. Decernentes, easdem præfatas literas semper firmas validas & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere, ac illis, ad quos spectat & pro tempore quocumque spectabit, in omnibus & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari & diffiniri debere, ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, necnon Provincie Bethicæ & Ordinis præfatorum, aliisque quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene & sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliâs in suo robore permanentibus, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 26. Junii 1734. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

F. Card. Oliverius,

FINIS.

INDEX

I N D E X

R E R U M N O T A B I L I U M

Quæ in hoc Tomo continentur Alphabetico ordine digestus.

A

ABBAS.

Abbas Monasterii Sanctæ Mariæ Novæ. Vide Ordines Religiosi ubi de Congregatione Montis Olivæ.

ACADEMIÆ ET UNIVERSITATES. Studiorum Universitates quantum Religioni conferant. Pag. 114.

Academia Cervaria a quo erecta, & quibus regenda legibus. p. 115.

Quæ sint Statuta & Privilegia Cathedralis Sancti Thomæ Aquinatis in Universitate Mutinensi. p. 269.

Ne quis Censuram ullam Theologicam diveria in explicanda Divina Gratiæ efficacia sententibus inurat, jubet Constitutione sua Clemens XII. p. 362.

ALTERNATIVA.

Provisio Beneficiorum sex anni mensibus vacantium Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis conceditur. p. 3.

Alternativa in Provinciis Regularium. Vid. Ordines Religiosi suis locis.

APPROBATIO APOSTOLICA.

Approbatio Constitutionum Ordinum Regularium. Vid. Ordines Religiosi suis locis.

Approbatio Decretorum Capitulorum Generalium, vel Provincialium &c. ibid.

Approbatio Decretorum Congregationum. Vid. Decreta Congregationum S. R. E. Cardinalium.

ARCHICONGRATERNITAS.

Archicongraternitas Sanctissimi Sacramenti in Ecclesia S. Mariæ ad Martyres erecta. Vide Erecciones.

ARCHIVIVM.

Pro directione Archivi Regimini Bononiensis Constitutionem edidit Ferdinandus Cardinalis de Abdua. p. 184.

Eandem certis finibus circumscriptis Thomas Cardinalis Rufus. ibid.

Benedictus XIII. confirmavit. p. 185.

Sub eadem comprehendi singulos Ecclesiasticos tam Sæculares, quam Regulares totius Legationis, & quoscumque Notarios etiam Curie Archiepiscopalis declarat Clemens XII. ibid.

AUGUSTINIANI.

Vid. Ordines Religiosi. Fratres Eremitæ S. Augustini.

B

BEATIFICATIO.

Congregatio Cardinalium Sacris Ritibus Præpositorum discussis Processibus confectis super Vita, Sanctitate, Virtutibus in gradu eroi-

co Servæ Dei Catharinæ de Riccis Monialis Ordinis Sancti Dominici, & Miraculis ad ejus intercessionem a Deo patratis, ad ejusdem beatificationem procedi posse censuit. p. 301. Eam Beatæ nomine nuncupari, Corpus, & Reliquias fidelium venerationi exponi &c. indulget Clemens XII. ibid.

BETHLEMITÆ.

Vide Ordines Religiosi: Bethlemita in Indiis Occidentalibus.

C

CENOBIVM.

Cenobium SS. Cosmæ & Damiani a Provinciali Provincie Romanæ Tertii Ordinis S. Francisci singulis annis visitandum. pag. 31. 388.

Cenobii Sacri Specus decora. p. 212.

Ibi S. Benedictus prima Ordinis fundamenta jecit. ibid.

Privilegia ei collata, & a Romanis Pontificibus confirmata. p. 3.

Clemens XI. hanc Ecclesiam visitantibus Indulgentiam concessit. p. 213.

Quæ eidem donaverit Ægidius Columna M. nachus. ibid.

Ordinationes pro antiquo cultu ibi restituentibus. ibid.

CAPELLANI.

Capellani Pontificis Privilegia concessa. Vide Exemptiones, Privilegia, & Indulta.

CAPITULA ORDINUM REGULARIUM. Vide Ordines Religiosi suis locis.

CAPUCCINI.

Vide Ordines Religiosi: Fratres Minores S. Francisci Capuccinorum.

CARDINALES.

Decanatus Sacri Collegii Cardinali antiquiori Romæ commoranti adjudicatus. p. 162.

Quomodo hujusmodi antiquitas sit intelligenda. p. 163.

Ad illum obtinendum non suffragatur residentia in Episcopatibus vel Archiepiscopatibus non-Suburbicariis. p. 162.

Suburbicarii vero optari nequeunt a Cardinali absenti nisi ex publica causa, vel ex Romani Pontificis destinatione. p. 163.

Cardinalibus a Presbyterali ad Episcopalem ordinem ascenditibus semel tantum ab una ad aliam Ecclesiam transire licet. ibid.

Quam visitare tenentur relationem de ea Pontifici exhibitori. ibid.

Cardinalis Vicecancellarii facultates. ibid.

Quæ sit Cardinalium auctoritas Sede Vacante. p. 303.

Mandata de solvendis pecuniis expedire non possunt. ibid.

Non